





21

Q.D.B.V.

1750

7

D I S S E R T A T I O  
DE  
NON VLLIS  
A D  
IVS HIERARCHICVM PRINCIPVM  
PERTINENTIBVS  
QVAM CONSCRIPSIT  
ET  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
CONSENSV

DIE XV. OCTOBRIS M D C C L.

H. L. Q. C.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIET  
LVDOVICVS DE BEAVSOBRE  
IVR. ST.

*L'amour du vrai me fit lui seul auteur,  
Et la vérité fut mon premier Docteur.*

ROUSSEAU.



---

---

TRAJECTI CIS VIADRVM,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI.  
ACAD. REG. TYROGR.





# A SA MAJESTE

LE ROI DE PRVSSE, MARGGRAVE  
DE BRANDEBOURG, ARCHI-CHAMBELLAN,  
ET PRINCE ELECTEVR DV SAINT EMPIRE  
ROMAIN, SOVVERAIN DVC DE SILESIE,  
SOVVERAIN PRINCE D'ORANGE, NEVF-  
CHATEL ET VALENGIN, COMME AVSSI  
DE LA COMTE DE GLATZ, DVC DE GVEL-  
DRE, DE MAGDEBOURG, CLEVES, JV-  
LIERS, BERGVE, STETTIN, POMERANIE,  
DES CASSVBES ET VANDALES, DE MECK-  
LENBOURG, COMME AVSSI DE CROSNE,  
BOVRGGRAGE DE NVREMBERG, PRINCE  
DE HALBERSTADT, DE MINDE, CAMIN,  
VANDALIE, SVERIN, DE RATZEBOURG,  
OSTFRIESE ET MEVRS, COMTE DE HO-  
HENZOLLERN, DE RVPPIN, DE LA MARC,  
DE RAVENSBURG, HOHENSTEIN, TECK-  
LENBOURG, SVERIN, LINGVE, BVRE, ET  
LEERDAM, SEIGNEVR DE RAVENSTEIN,  
DE ROSTOCK, STARGARD, LAVEN-  
BOURG, BVTAV, ARLAT ET BREDA,

Gc. Gc. Gc.

2

SIRE

EGERTON

IL ROL DE PERSIEN, MARYMORAN  
DE BREVIERIE DES CHARTRES DU SAINTE MARIE  
ET PRINCE ET REIGNS DU DUC DE BREVIERIE  
BOMAIN, SOVEREIGN OF BRIVE, THE  
Sovereign Prince of Brive, COMTE DE BREVIERIE  
CHATEAU DE LA VILLE, COMTE DE BREVIERIE  
DE LA GOUVERNEMENT DE BREVIERIE  
DRE-DE-MEDDESONGE, COMTE DE BREVIERIE  
MEZ, BREVIERIE, STATTIN, POMERANIA  
DES CRESSES ET AUNDBURG DE BREVIERIE  
LIMBURG, COMTE DE BREVIERIE  
JONGBURG, COMTE DE BREVIERIE  
DE HABERNSTEIN DE BREVIERIE  
HABERNSTEIN, BREVIERIE  
WILDE, BREVIERIE, BREVIERIE  
GUTTERESE, BREVIERIE, BREVIERIE  
HEXEDOPPEL, BREVIERIE, BREVIERIE  
DE LARVENSBERG, BREVIERIE, BREVIERIE  
WERNER, BREVIERIE, BREVIERIE  
LEEDEN, BREVIERIE, BREVIERIE  
DE BOOTHOE, BREVIERIE, BREVIERIE  
BOLOG, BREVIERIE, BREVIERIE  
DE RU, BREVIERIE, BREVIERIE

EGERTON

# SIRE

 C'est avec des sentimens, SIRE, que le coeur eprouve,  
mais qui ne peuvent s'exprimer, que j'ose approcher  
tres humblement du throne de VOTRE MAJESTE,  
pour mettre à ses pieds un ouvrage, qui porte a sa tête le glo-  
rieux Nom du plus Grand et du Meilleur des Rois. SIRE,  
je n'offre à VOTRE MAJESTE ni encens, car qui pour-  
MAISON DE BENOIT \* 3



roit dignement louer mon Roi? ni une piece, qui puisse jamais  
meriter le grand privilege, que, *VOTRE MAJESTE*  
m'a gracieusement accordé: mais j'ai l'honneur de lui présen-  
ter cela seul, qui peut plaire à la Divinité et au Monarque,  
sous l'heureux regne du quel un fort trop propice m'a fait  
naître, un coeur vivement penettré, une sincère ardeur de ser-  
vir *VOTRE MAJESTE* jusqu'au dernier soupir de ma  
vie, un amour, qui n'a pour bornes que mon impuissance, un  
profond respect, un zèle infini pour la gloire de *VOTRE MAJESTE*, et des voeux très ardents pour la conservation  
de sa Personne sacrée. *SIRE*, que *VOTRE MAJESTE* daigne jeter un regard favorable sur un fidèle sujet,  
qui met sa gloire et son bonheur aux pieds de son Prince. Là,  
*SIRE*, se trouve le vrai bonheur, là se trouve la véritable  
gloire et la véritable grandeur, là je pourrois seul à l'abri de  
tout malheur admirer, servir, et sacrifier avec joie mes jours  
au service de mon Roi, et de mon unique Bienfaiteur. J'ai  
l'honneur d'être avec un très profond respect

*SIRE*

*DE VOTRE MAJESTE*

*Le très humble et très obéissant Serviteur, et sujet*

*LOVIS DE BEAVSOBRE.*



§. I.



**M**oerore sane dignum est, quod tot ac tanti Juris Philosophici scriptores justum ab æquo distinguere aut nescierint aut noluerint. (a) Ex hac confusione quasi ex fonte foecundissimo tot logomachiæ, tot viris doctissimis piisque hæreticæ opinionis imputationes, tot, quod magis dolendum, persecutio[n]es natae sunt. Durat hæc confusio partim hodie, durat, immo nimium durat pro tempore, in quo tot præstantissimi exstant Philosophi ac Jurisconsulti:

(a) Distinguere tamen se scire centies dixerunt idque a Jureconsultis Romanis didicerunt L. 17. §. 3. D. commodis v. Grot. de J. B. et P. LI. Cl. §. 2. Egregius hanc in rem exstat Locus in celeb. Vitrina de synagoga Vetera T. II. P. I. L. 3. §. 22. p. m. 787. 8. 9.

A

ti: e cineribus antiquæ jam centies recocetæ amphiboliæ et errores (b) renascuntur.

### §. II.

Si hæc confusio alicubi se exeruit, id quidem fuit in materiis sacro-juridico-philosophicis. Locuti sunt viri præstantissimi ingenii, veritatis amatores ac defensores, Grotius, Thomasius, Hobbesius de Potestatum summarum jure circa sacra, et jus docendo, quia non omnia æquitati pietatique, sæpiissime cerebrinis, conformia protulerant, veritatem ab ipsis contemtam fuisse quis non autumavit? quis, imprimis duobus posterioribus, omnem fere humanitatis sensum non denegavit? quis horum scripta plurima Vulcano non disset? En! demonstratio veram juris doctrinam nemini aut paucis placuisse, multos hanc male cum æquitatis disciplina confudisse, sexcentos hujus et illius ignaros fuisse.

### III.

Ego hæc pensando animum induxi paucissimis commendatissimam illam de jure Principis circa sacra eruere materiam, jus proponere non regulas æquitatis et prudentiae. Sane prævideo non defuturos obtrectatores, sed ubi defunt, quæsto? Interim veritatem defendere non timeo. Quotquot erunt dissentientes, contrarium Thesum nostrarum non probantes, tot unice mihi erunt probationes veritatis hujus dicti: QVOT CAPITA, TOT SENSUS. Offero placido eruditorum examini non omne jus Hierarchicum, nec omne Jus Principis circa sacra, quod pars potior est Hierarchici, sed quædam ad hoc pertinentia pro ut ingenii ac scientiae meæ fert inopia; diversas, quantum potero, et præcipuas partes proferam, et

(b) Si errores quos refutavit Grotius, jam denuo serio defenduntur, quid erit de his quos detexit Hobbesius, valet hic. HERCULE EST DANS LA TOMBE, ET LES MONSTRES RENAISSENT.

et ex principiis indubitatis demonstrare conabōr. Si vero multi me temeritatis reum pronunciant, quum in ardua materia post viros æternitate dignos, Grotium, Puffendorffium, Melchiorem Goldastum, Thomasum, Hobbesum, Conringium, Boemerum, et Huberum, aliquid præstare conatus fuerim, ipsis respondeam; Hos, quos veneror, non jus sacrum Universale, sed potius Ecclesiasticum (*c*) et imprimis particulare tractasse. Cæterum si quædam in dissertatione nostra minus exasperata posuero, veniam facile a B. L. mihi polliceor, eo quod tum materiæ amplitudo, tum ipsius difficultas, tum ætatis ac virium tenuitas plura ac meliora proferre prohibuerint. At vero enixissime tandem letores rogo, ne nisi perlecta hac commentatione me judicent, et si tunc aliquid erronei invenerint, ne sinant me diutius in hoc errore versari.

## IV.

Eruamus primum quid sit Ius, multiplex ejus est sensus: duobus (*d*) inter hos nobis utendum erit; Primo, cum sumitur pro qualitate personæ, et tunc definiendum judio, per facultatem moralem agendi a lege stricte dicta nobis concessam; Lex vero stricte dicta est officiorum extorquendorum; (*e*) secundo, cum sumitur pro disciplina, et tunc per complexum Legum homines externe obligantium

A 2

defi-

- (*c*) Jus Ecclesiasticum Universale est species juris sacri Universalis, ut Ex. g. Jus synagogicum Universale, Jus sacrorum Ethniconum, Mahumetanorum. Juris Ecclesiastici, imprimis particularis, invenies dilucidationem optimam in excellentissimo Libro Celeb. H. Boehmeri de jure Ecclesiastico; Hic etiam spestat Joach. Stephani tractatus de Jurisdictione Græcorum, Romanorum, Judæorum, et Ecclesiasticorum.
- (*d*) Significat adhuc jus legem, complexum legum similium, actionem cum lege convenientem. Vide Huberum de Jure Civit. L. I. S. I. C. I. n. 1.
- (*e*) Jus secum fert extorsionem, et ipsi correspondet obligatio perfecta (externa) in quo consentit Heiniccius T. I. P. I. §. 5. D.

definio cum Celeberrimo Viadrinæ nostræ Philosophicorum Professore Baumgartenio, V. *Scenographia Juris Socialis Primarii* §. I.

### §. V.

*Sacrum* voco quod cum religione proprius connectitur, i. e. notabiliori gradu: Omnia ultimato cum hac connecti nemo inficias ibit, sed quædam multo magis quam alia, illa arctiori, hæc latiori vinculo. *Societas*, quæ religionem aut proprius cum ea connexum pro bono (fine) communis habet, dicitur *sacra*; eaque *externa*, si religionem externam ejusque jura; *interna*, si internam pro bono communis stabilierint socii.

### §. VI.

Hinc sequitur §. §. IV. V. *Jus sacrum universale* esse partem philosophiæ (f) continentem leges stricte dictas homines externe obligantes quoad sacra, s. in statu sacro speciosatos. Quod vel publicum, legum stricte dictarum publica, vel privatum privata negotia respicientium. Hujus juris sacri universalis publici pars posterior est *Jus Hierarchicum* s. jus jubendi circa sacra, at *Juris Hierarchici* pars prior erit *Jus Principis circa sacra*, quod ipsius respectu §. 4. posset definiiri per qualitatem moralem imperandi circa sacra a lege stricte dicta ipso concessam; respectu vero subditorum, per complexum legum §. 4. a (g) Principe datarum subditos externe obligantium in statu sacro.

### §. VII.

(f) A qua definitione non alieni fuere antiqui *Juris Consulti*. *Juris* prudentiam enim veram et non simulatam Philosophiam vocabant L. I. §. 1. D. de Just. et jure. Quod improbari non potest, si de Universali intelligatur. V. QUINTIL. Inst. t. Orat. I. ult. 2.

(g) Princeps mihi est ille, vel illi in quibus residet summa potestas Civilis.

## §. VII.

Hinc patet §. 6. Juris Principis circa sacra (ut omnīs juris) objectū esse externum, nempe actiones externas ad sacra pertinentes. Jus enim non versatur, nisi circa hæc, interna ad ipsum plane non pertinent. Hæc inter externa (h) et interna, inter externam et internam potestatem distinctionē

A 3

maxi-

- (b) Huberus de hac distinctione passim in suo Tractatu de Jure Civitatis loquitur, imprimis L. S. V. C. 1. et 2. ubi illam approbat, Thomasius vero in nota ad n. 2. c. 2. ait: *Igitur potius manemus in illa opinione, distinctionem hanc inter potestarem externam et internam plane non quadrare ad doctrinam exponendam de Iure Principis circa sacra, idque ob duas rationes: 1) quia perpetuum est litigium inter dissentientes, utrum id, de quo controvertitur pertineat ad potestarem internam aut externam, cum nulla data est regula hæc duo accurare secernendi, nec ubique dari possit, v. g. quando queritur an Princeps possit Iudeos cogere, ut audiant conciones Christianorum? dubium est, an res pertineat ad regimen externum, an ad internum, 2) quia tota doctrina absque illa distinctione commodissime potest explicari, Quomodo? Ea regula quam tradit autor ipse. Princeps potest omnia, quæ non sunt excepta. Vid. Dissert. de iure Principis circa adiaph. §. 8. et notas ad Disp. Theol. Lips. de iure decid. controv. Theol. p. 66. seqq. et 85. Sed parum accurate hic ratiocinatur Thomasius. Prima ratio, quam allegat, nullius est valoris, amphibolia enim distinctionis fraud magno labore levare potest, cum nihil aliud sit Potestas externa, nisi qualitas moralis a Lege stricte dicta concessa imperandi circa illas actiones, quæ cognolci, et vi externa extorqueri vel impediri possunt; interna vero, qualitas moralis dirigendi actiones illas, quæ vi externa extorqueri vel impediri non possunt physice. Hinc in civitate Potestas externa est apud Principes, hinc quis non viderat illam pertinere, quæ extenderetur in Iudaum, qui Ecclesiam Christianorum adire cogeretur? Secunda Thomasi ratio minoris est pretii quam prior: Immo illa vere in iure non quadrat, falso enim est Principes non gaudere jure jubendi, et prohibendi quæ a Deo præfinita fuerunt, si vox juris vero sumatur sensu; et hic quidem vere esset campus disceptationum perpetuarum. Sed de his inferius. Vide hic Schilterum in Tractatu suo de Lib. Ecclef. Germ. I. I. c. 1. §. 1. seqq. ubi probe hæc distinguit, non minus ac obligationes externas ab internis, quæ secundum Thomasi præconceptam opinionem etiam ruere deberent.*

maxime est necessaria, non minus ac illa, quam §. I. recensuimus. Externa nulli in civitate nisi Principi, aut iis quibus ille demandavit, competit. De internis (*i*) vero nemo iudicat, ideoque nec Princeps, quatenus ad ipsius cognitionem non venire, hinc sub imperium ejus, quia nullam admittunt extorsionem, cadere non possunt. Eaque ratione probe negamus jus in conscientias, si per illud intelligatur jus extorquendi, ut haec quis interne approbet, illa improbet. Uno verbo cum jus secum ferat obligationes externas, i. e. extorquendas, objectum ipsius non nisi externa sunt.

### §. IIX.

Medio tutissimi. Nec plus Principi, nec minus, circa sacra, quam quod ipsi tribuendum est, tribuere debemus; qui prius amplectuntur *Cæsaropapylæ* audiunt, qui posterius *Papocæsarifæ* (*k*) vocantur. Uterque error viguit et vigeret adhuc; prior oritur ex neglecta inter interna et externa §. 7. internam et externam potestatem distinctione, non minus ac ex falsa ab hac ad illam consequentia; posterior vero ex neglecta §. 1. allata distinctione, et principiis Monarchomachicis. Utrumque hic directo refutare non meum est, nec mei scopi, implice tamen refutabitur, *jura* Principum circa sacra stabiliendo, et principiis argumentisque inconcussis demonstrando.

### §. IX.

Jus Principis circa sacra ad duas classes referri potest, nempe ad personas et ad res. Actiones, crimina, et judicia addunt nonnulli *Juris Consulti Canonici*, et ex his adhuc duo

(*i*) Seneca de Benef. 3. ad „Errat si quis putat servitutem in totum hominem descendere, pars euim melior excepta est. Corpora obnoxia sunt Dominis et adscripta. Mens sui juris est.

(*k*) Quos Grotius bellissime Apostatas rationis vocat in Tractatu suo de I. P. S. circa sacra.

duo faciunt membra dividentia hujus juris, sed haec ad personas pertinere nemo non videt, sunt itaque membra subdividentia: personae enim vel considerantur quoad statum, vel quoad aetatum, in hocce membro subdividenti continentur duo illa membra pro dividentibus falso habita. Personae sunt vel sacræ (*Clerici*) vel prophanae (*Laici*) de illis primum, de his inferius. Et has et illas simul quoad statum et quoad aetatum considerabimus.

## §. X.

Personae sacræ sunt, quæ publica autoritate sacris dicatae sunt. At primum est ut instituantur. Ad institutionem pertinere possunt, ut probe notavit GROTIUS, 1) Mandatum s. jus sacra officia publica peragendi, 2) Ordinatio, s. applicatio hujus juris ad certam personam, 3) Elektio s. applicatio hujus personæ ad certum coetum, 4) Confirmatio, s. declaratio valida externe obligatos esse subditos ad personam hancce pro tali agnoscendam. Ex his patet, si omne jus instituendi sumamus, illud penes esse solos Principes in civitate, aut illos quibus Principes demandarunt. Quod enim ad jus sacra officia publica peragendi s. mandatum, et applicationem hujus juris ad certam personam s. ordinationem (ex quibus primum consideratur in abstracto secundum in concreto) et electionem s. hujus personæ applicationem certo coetu, quæ tria, licet possint separatim considerari, tamen conjuncta semper inveniuntur, attinet, illa aut ipse eligendus solus sibi adscribit, et irritum quid facit et contra jus, aut coetus, (1) aut aliæ personæ sacræ, aut imperans illi tribuit. Sed et coetus et aliæ haec personæ sacræ illud agunt vel concedente

(1) Aut, dicet forsan quis, coetus et Imperans simul. Sed coetus hoc jus eligendo vel tribuit cum Imperante consentiente, aut dissentiente, si prius jus accepit a Principe et valide agit, si posteriorius iudit Principem.

cedente Principe, vel invito ipso. (m) Priori casu Princeps jus suum transtulit vel in cœtum vel in has, et coetus et hæ jure agunt, volenti enim non sit injuria; posteriori (n) vero læditur imperans. Cœtus enim in Republica, ut ut sit, est coetus subditorum, et hæ personæ sacræ sunt subditi, quæ, cum hoc invito faciunt Principe, in aliquo à justa dependentia a summo imperio civili se eximunt, et statum in statu formant. Qui in civitate contra imperantis voluntatem alicui jus aliquod tribuit, i.e. aliquod, quod vi extorqueri potest, nonne sibi tyrannicum titulotenus imperium civile tribuit? fert enim leges civiles, externe obligatorias, extorquendas contra voluntatem legitimi imperantis, ergo jura Principis lædit, ergo et hunc lædit, et ipsi justam puniendi causam dat. Si itaque (o) invito Principe

(m) Vel incio dicet fortasse quis. Et ego quidem dico, vel cum consensu præsumendo vel cum dissenso præsumendo, prior casus potest esse iustus externe, posterior iniustus est semper.

(n) En licet hic verba viri præstantissimi ingenii ac eruditionis citare, puta Ant. de Dominis Episc. Spalat. in Op. de Rep. Eccles. T. II. L. 5. c. 1. init. (Lond. 1625.) Cum Ecclesiastica Res publica, ut Ecclesia est, alium finem suum proprium non habeat, ut planum est, nisi eum quem habeat Ecclesia. Ecclesia, vero ut Ecclesia est, solus et proprius finis ille tantum sit, ut fideles qui sunt ipsa Ecclesia, aeternam beatitudinem consequantur, finis nimurum torus est spiritualis, et solis spiritualibus armis et mediis asequendus; quis jam non videt potestatem etiam omnem, qua homines duci ad hunc finem debeant, et juvari, non posse esse nisi spiritualem. Ergo in nulla externa se extendit potestas personarum sacrarum, qua sacræ sunt. Hoc probe notandum.

(o) At non video quid habendum sit in Jure de distinctione, quam ZIEGLERVS, circa jus eligendi personas sacras, in l. de Iure Maj. c. 18. §. 1. assert. Putat Principem, si vera esset addictus religioni, posse sine consensu subditorum falsæ religioni additorum Ministros etc. ipsi dare, ut Reges Hispanie, Gallie, et Anglie in India faciunt; non posse vero, si subditi eandem vel veram vel falsam cum ipso profiterentur religionem, aut si subditi veram, ille vero falsam sequeretur. Miror tantum virum intam inanem incidisse distinctionem. Nec melius judicat Celeb.

cipe nec cœtus, nec quædam personæ sacræ, sed tantummodo illo concedente, vel tacite vel expresse, justæ hec tria jura exercere possunt, liquido constat in civitate nulli nisi Principi, aut ab ipso demandatis illa competere. At, quoad confirmationem, quis eam Principi denegabit? est enim latio legis cuiusdam civilis omnes subditos externe obligantis, hinc publicum negotium, hinc solius voluntate Principis valida externe.

§. XI.

Putat Huberus (§. 9. c. 3. S. V. L I. de Jur. Civit.) Doctores sibi et Reftores, in omni cœtu necessarios, præponere posse cœtus sacros, sicut eos sibi præposuerunt Apostolicæ Ecclesiæ non volentibus etiam Imperatoribus civitatis, in qua degebant. Si de Doctoribus publicis loquitur ipsius sententiam sequi vetat ratio. Quoad factum, si putat Apostolicas Ecclesiæ etiam contra voluntatem imperatorum expresse vel tacite significatam Doctores sibi præposuisse, illud liquido non constat, militat enim inter plura etiam Ep. Plinii 97 L.X. ad Trajanum contra illius veritatem, imprimis si de primis temporibus Ecclesiæ sermo sit, de posterioribus, crescentibus et potentia Papæ et superstitione, aliter rem se habuisse non negabo. Sed posita, licet per impossibile, veritate facti, nego consequentiam quam a temporibus apostolicis ducere vult autor. Hypothesin autem impossibilem esse, ex eo colligas, quia stante eadem, Ecclesiæ Apostolicæ, sine expressio Dei mandato agentes, contra jus egisse necesse foret,

cum

Dever Martinus (V. D. Min. in Charenton) qui a summo Principe perfectam cognitionem exigit, ut jus eligendi Ministros habere possit &c. (*il doit être Savant*) quem probe refutat Grotius P. I. ep. 62. Non audeo Zieglerum aggredi in eo quod quid Principes nunc vel olim fecerint hic tacite pro justo venditat. Mallem pro vero sumere illud omne quod Scholastici olim didicere runt credideruntve,

B

cum jurisdictionem circa sacra vel dissentientibus, vel tacite saltim non consentientibus imperatoribus, sine laesione non exercuerint.

### § XII.

Ex hoc jure §. 10. sequitur jus honores varios personis sacris concedendi, jura, immunitates, privilegia ipsis tribuendi, haec et illos auferendi. Hoc jus est pars Juri Patronatus (*p*) latius dicti. Loquimur de honoribus et iuribus civiliter agnoscendis, validisque, i. e. ad quae agnoscenda omnes subditi externe obligantur legibus stricte dictis: Ideoque hoc peragendo fertur lex civilis et per consequens soli Principi, aut iis, quibus concessit, competit Jus Patronatus latius dictum, saltim in hac parte, de qua nunc sermo est. Inter jura, quae Princeps dat personis sacris, praecipuum est jus coercendi quosdam cujusdam vel criminis vel delicti reos, s. jus exercendæ disciplinæ sacræ, quod non habent contra Principis voluntatem, nec sine ipsius expresso vel tacito consensu, sive consenserint ii, in quos cadit disciplina vel secus. Illa justæ exercetur, quæ exerceatur voluntate Principis, nam de eo quod prudentiae rationes exigant hic agendi locus non est, illa vero injuste, quæ contra voluntatem Imperantis vel sine hac expresse vel tacite significata, dummodo hosce actus exercendæ disciplinæ pro publicis negotiis sumamus. Tale jus ergo, si est in personis sacris, tantum est hyparchicum. (*q*) Sed quid de jure auferendi?

(*p*) v. Finkelthaus de Jure Patronatus I. 3. c. 1.

(*q*) Scio quidem jus coercendi Haereticos, et certorum vel delictorum, vel criminum sacra respicientium reos sape cœtu sacro, sacerdos personis sacris adscriptum fuisse Eruditissimus ac Celeb. L. B. A MOSHEIM in Instit. hist. Chrift. Majoribus P. II. S. I. C. 3. §. 14. contrariuin Theeos nostræ autumat. Nemo neficit, quantum motæ fuerint lites circa hanc materiam; aeternis laudibus dignus ERASTVS multum præstítit in raro nunc libro suo: Ex-

rendi? non ne paſtæ ſunt perſonæ ſacræ cum ſummo Imperante? odoque Imperans frangendo paſtum eas lædit. Respondeo; Princeps pacificando interne tantum ſe obligavit, neutiquam externe, ita ut vi et vi armata ad paſtum fervandum cogi poſſet a ſubditis, ſi id itaque ab ipſo extorqueri non potheit, contrarium faciendi juſ habet, i. e. paſtum non fervandi, quod tamen iniquiſſimum ſæpe ſæpius.

## §. XIII.

Hoc juſ §. 12. comitatur juſ præſcribendi facienda et omittenda, i. e. Principi competit *Jus Nomotheticum circa ſacra*, ſ. juſ ferendi leges externe obligantes ſubditos quoad ſacra, et primum perſonas ſacras; Ad hoc pertinet 1) juſ ju-bendi (r) et prohibendi religionem externam, hinc cere-

B 2

monias

plicatio graviff; quaſtione utrum Excommunicatio niſatur fundamento di-vino, cui adjuncta eſt *Theſium confirmatio contra BEZAM Peflavii* 1589. Ego quidem puto, disciplinam publicam ſacram, vi muneriſ tantum, perſonas ſacras jure exercere non poſſe. Dicitur quæ ex ſacra ſcriptura allegantur ſi multum probant, probant illud quandoque eſte æquum, ut in caſu neceſſitatis etiam fine conſenſu Principis quædam exerceatur disciplina ſacra in certos reos; Et hic notetur 1) Juſ ſepe et iuſtitiam in S. Litteris pro ſequitate ponit, ut probat *Celeb. CAMPEGIVS VITRINGA in Synagoga Vetera T. II. P. I. L. III. c. 12. p. m. 789.* 2) perſonas ſacras non habuiffe jurisdictionem circa ſacri independentem ab Imperio Civili primis temporibus, nec per Leges Judæorum. V. R. I. P. E. R. V. M. in *Mofe Aaronis Deo c. 10.*, R. E. I. N. H. A. R. D. V. M. in *Jure Principum Germanie circa ſacra*, i. §. 13. ſeqq. cit. VITRINGA M. T. I. P. III. c. 9. p. m. 552. 553. G. R. O. T. I. V. M. in *Tractatu de Jure P. et B. I. t. c. 4. §. 2. 3. 4.* omniſ quæſtio huc redit 1) an perſonæ ſacræ vi muneriſ tantum juſ habent exerceendi disciplinam ſacram publicam, et negatur 2) an illam invito Princepe exerceere jure poſſunt, et negatur, 3) an incio, ſed praſumto conſenſu Imperantis et concedimus, 4) an concedente Imperante diſſentientibus iis in quos cadit disciplina? et affiſmatur.

(r) G. R. O. T. I. V. M. in *Tractatu de S. P. jure circa ſacra* e. g. §. 2. ait: Nulla in re magis eluſcitur *Vix Summi Imperii quam quod in ejus arbitrio, que-*

monias s. ritus quibus declarantur quædam obligationes sacræ, hinc jubendi quibus (s) subscribere debeant libris symbolicis personæ sacræ, hinc vetandi contemtum externum religiosi cuiusdam: quæ jura constituent novam partem Juris Patronatus latius dicti §. 12. nonnumquam antipolitice, semper iniuste, ageret Princeps si illa extorqueret, quæ repugnant conscientiæ subditorum, sed injuste agere dicere non possum, immo juste agere fateri cogor, quia ad oppositum vi cogi nequit: Si injustus eo in casu externe talis esset, daret subditis justam belli caussam, quia eos læderet, immo læsis omnia adhibendi media facultatem largiretur, quibus vel ad aliam mentem reduceretur, vel læsio quomodocunque repararetur, quod et ἀτοποιοι omnes sine dubio judicabunt. Subditorum ergo est aut obedire, aut, si propter conscientiam obedire non possunt, fugam arripere, si vero nec per illam salvare se possunt, patienter mala propter inobedientiam a Principe ipsiis illata sub nomine poenæ ferre, non vi contra ipsum resistere, solis precibus, solis lacrimis agere, ut sexenti veri christiani, et ipse Christus suis exemplis testitunt. 2) Ius imponendi silentium, 3) prohibendi disciplinam arcani, i. e. prohibendi ne personæ sacræ invito ipso aliis aut ipsi celatam habeant doctrinam, 4) vetandi fraternitates, conspirationes, confœderationes, coniunctiones, 5) prohibendi ne foveant externe sententias Antipoliticæ, ne adeant convicula, et quæ plura sunt quæ longius hic recensere supervacaneum duco. *Jus* est quoddam *nomocriticum* *sacrum*, s. ius leges vel vivas vel mortuas circa sacra exstantes examinandi et valide dijudicandi; quod ius Principi æque ac nomotheticum competit, hinc hasce leges abrogandi, intendendi,

*nam religio publice exerceatur, idque præcipuum inter Majestatis jura ponunt omnes, qui Politica scripperunt. - - - Missatio Regis animo et mutabitur religio externa.*

(s) Non ac si deveritate, vel de eis quæ in animo credenda sunt, paciscantur, sed paciscuntur de iis quæ vel docere vel externe posteri debent.

dendi, extendendi, renovandi, relaxandi, alterandi jus habet.

### §. XIX.

Ex §. 13. jure jubendi et prohibendi religionem externam, sequitur jus declarandi s. determinandi quales esse debeant ii, qui pro externe errantibus, Hæreticis, Apostatis, tamquam vel crimen vel delicto tunc reis, habendi erunt; hinc jus declarandi quinam errores pro talibus in foro externo agnoscendi sint, quenam separatio a communi modo cogitandi circa sacra pro schismate, cuiusnam erroris externa professio pro hæresi, quenam religionis mutatio pro apostasia habenda sit. Tales enim errores circa sacra maxime cum simplici existimatione, et externa aucta connectuntur. Hanc in civitate augendi vel minuendi jus soli Principi, aut iis quibus demandavit, competit. Hinc et ipsi soli convenit jus judicandi externe et valide de iis, quæ famam simplicem et auctam externam vel minuunt, vel augment. Probe notetur nos loqui de erroribus illis, qui pro talibus in foro externo sunt habendi, illi soli in jure locum habent, interne tales ad forum Theologorum et Moralistarum pertinent; non minus etiam illorum missam facimus considerationem, qui politices objectum sunt.

### §. XV.

Juri nomotheticō sacro §. 13. 14. correspondet *Juris Dicasticum Sacrum* s. jus applicandi leges circa sacra lata ad facta obvia, et hinc validam facti et legis imputationem insti-tuendi, sententiæque executionem jubendi. Unde patet primus juris dicastici actus, secundus, et tertius de quo §. 16. Primus ergo actus est cognoscerere de facto, illud sub lege quādam subsumere, et inde sententiam deducere. Cognoscitur de facto, si queratur an evenerit, et quomodo evenerit;

B 3

Summus

Summus judex est Princeps, at non esset nisi cognoscere jure posset, si vellet, de factis sub lege subsumendis. *Subsumitur factum sub lege*, si ex lege fit major syllogismi imputatorii, ex facto vero minor; *sententia fertur* inferendo conclusionem valide syllogismi imputatorii. At sententia vel est 1) cum *absolutione*, i. e. cum declaratione valida, qua quis, poena per legem stabilita, non dignus, talis judicatur, hinc concipitur *jus Principis absolvendi*, 2) vel cum *condemnatione*, s. declaratione valida, qua quis poena esse dignus judicatur, hinc *jus Principis condemnandi vel civiliter vel criminaliter*, 3) vel cum *præmio*, s. declaratione valida, qua quis præmio dignus judicatur, hinc *jus Principis Bræuticum*, 4) vel sine eo, s. cum declaratione valida, qua quis præmio indignus judicatur, hinc *jus Principis indignos præmiis declarandi*.

### § XVI.

Lata sententia sequitur ipsius executio s. tertius juris Dicastici actus §. 15., quo quis vel 1) poena afficitur, i.e. quo fit *punitio* s. actualis connexio poenæ a lege stricte dicta determinatæ in condemnatum, vel 2) præmio honoratur, i.e. quo fit *præmiatio* s. actualis connexio præmii a lege determinati in præmio dignum judicatum, 3) vel a poena liberatur vel absolvitur, i. e. quo fit actualis connexio signorum, quibus aliquem poena non dignum, et a poena esse solutum patet, vel 4) præmio indignus declaratur, i. e. quo fit actualis connexio signorum, quibus declaratur aliquem præmium non mereri, in præmio non dignum. Læditur Princeps si ipsius jussu non obeditur, hinc quivis subditus, imprimis ii, qui ad talia facienda determinati sunt, obligantur externe obdire Principi, si ipsum jubeat ut, quæ per sententiam fuerint determinata, ad existentiam perducat. Hoc Jus Dicasticum §. §. 15. 16. Principi competere ex eo patet, quod ille summus est legislator. Qua enim ratione, quæso, dantur leges?

leges? nisi ut coerceantur crimina et delicta, at quomodo coerceri possent, ni exerceretur jus dicasticum? soli vero Principi convenire, exclusis omnibus aliis in territorio suo, quibus non dedit, ex eo etiam liquet, quod solus est legislator legitimus in civitate circa publica, exceptis iis quibus hanc potestatem communicavit, qui tamen illa dependenter ab ipso fruuntur. Porro, si leges sunt validas omnes subditos in civitate externe obligantes, potest et ferre talem qua vetat ne quis sine consensu suo Jus Dicasticum exerceat; si potest jure talem ferre, potest jure omnibus suis subditis denegare illud, hinc sibi soli adscribere.

### § XVII.

Puniuntur itaque juste a Principe delicta et crimina, illa civiliter, haec criminaliter, personarum sacrarum, ut puta 1) religionis externe vetitae externa professio, propagatio, 2) iusfae neglectio, 3) ceremoniarum ab illo iussarum neglectio, vetitarum patratio, 4) declamationes vetitae et tamen factae, 5) disciplina arcani, eiusque negata detectio, cum tamen detegere externe obligabantur, &c. §. 13. 6) scandala, impedimenta externa cultus publici divini, 7) schismata f. dissensus externe vetiti circa sacra notabiliter efficaces, 8) sacrilegium f. furtum vel rei sacræ vel rei ex loco sacro, 9) anoxaria f. mutatione religionis externe vetita, 10) Blasphemia f. contemnus externus Dei et divinorum, 11) Haeresis, f. errorum circa sacra vel saluti publicæ contrariorum, vel in Republica vetitorum, externa professio, 12) Simonia f. emtio venditio sacrorum vetita. Haec præcipua crimina et delicta circa sacra sunt, quorum rei esse possunt personæ sacræ, qua tales sunt. Concludo; Princeps fert jure leges §. 13. 14., applicat jure leges ad facta obvia §. 15, jure conclusionem syllogismi imputatorii dicit §. 15, juste jubet, immo extorquet executionem sententiae §. 16. Sed ex his nec subreptitie concludatur, Principes, legibus latis, iisque ad facta obvia applicatis, reum, qui alias juste

juste plesteretur, jure poenae subtrahere non posse: qui enim leges condit earum valorem atque vim extendit, intendit, restringit, relaxat jure pro lubitu, si independenter ab aliis imperio eas dat, licet aliquando inique fiat, nec regulis prudentiae convenire videatur hominibus; quis enim ab eo extorquere posset, ut reum puniat? nemo in civitate praeter eum jure gaudet condemnandi, multo minus invito ipso puniendi. Jure ergo, si velit Princeps, impunitus manere poterit quivis reus, hinc et persona sacra aliquo crimine aut delicto contaminata. Huic juri correspondet jus poenas reo infligendas, graviores, quam per latas leges sunt determinatae, reddendi. Hinc concipi valet *jus aggratiandi*, scilicet *jus reum vel ex parte vel totaliter poenae subtrahendi*, et *jus aggravandi* scilicet *jus reum durius*, quam lex lata fert, puniendi, quod et *jus sententiae potestivae* vocatur; quae jura Principi denerari haud possunt.

### §. XVIII.

Ex juribus superius tractatis concipi valet etiam *jus Principis tolerantiae* scilicet *jus liberum religionis exercitium diversis religionibus addictis in territorio suo concedendi*. Si hoc jus applicatur ad personas sacras, erit jus concedendi quibusdam personis sacris, religioni, ab illa vel illis quae in territorio Principis acceptae sunt, diversae addictis, facultatem munus suum exercendi. Hoc jus tolerantiae competit Principi vi juris territorialis, quo, quibus vult, concedere jure potest territorium ejus inhabitare, tempula ædificare, ceremonias peragere, uno verbo omnia ea facere, quae facienda jubet ipsorum religio. Errant multum, qui illud Imperanti denegant, nec minus qui iniquum, impium, et antipoliticum semper esse judicant. Sed sufficit ut sit justum: quis enim hujus juris exercitio læditur? Princeps? volenti non fit injuria: subdit? at spectatum admissi. . . . Læduntur ne? videamus. Læditur ille, cuius suum juris violatur, at an suum

um est juris subditorum, jus certos errantes circa sacra, aut certos aliter de sacris, quam ipsi, sentientes persequendi, et e civitate expellendi? Qui ergo, quod suum non est, vi et vi externa invito Imperante tueri possunt, et si resistit Princeps, hunc ipsum aggredi? Profecto male sanus est qui id credit! Sed nonne tertius laeditur? Respondeo: si promiserit Princeps tertio non tolerare, et tolerat, tertium laedit, quia pactum servandum non servat; sed si non promiserit, qua ratione, cum summus Imperans imperio humano non subiectus sit, obligatus esset externe erga tertium, non subditum ipsum, ad aliquod? Hoc jus Principis tam in modum obstringit ipsum subditos, ut et hi externe obligentur non pro externe errantibus habere, quos pro talibus haberi nolit, immo nullum in modum exercitium religionis tolerandorum turbare. Quos vero Imperans tolerare nolit, illos jure, saepe iniquissimo, expellit e territorio suo, reos declarat, si ipsi obedire nolint, et punit. Nunc paucis de poenit variis.

#### §. XVIII.

Variarum poenarum genera ad sequentia fere reduci possunt, ad quae Imperanti jus est. 1) *Jus expulsionis* s. exili vel in perpetuum vel ad certum quoddam tempus, 2) *jus incarcerationis* s. ablationis cujusdam libertatis corporalis sine laesione corporis, 3) *jus ignominiae* s. infamandi, i. e. jus auferendi famam simplicem, 4) *jus paenitentiae* s. jus jubendi et extorquendi auctus quosdam externos, quibus reus declarat ipsum poenitere vel criminis vel delicti sui circa sacra patrati, 5) *jus banni sacri* s. jus personas sacras munere, honoribus, juribusque privandi, idque vel quoad certum tempus definitum, et tunc in specie erit locus *suspensioni*, vel in perpetuum et tunc *cassationi*, 6) *jus confiscationis bonorum*, 7) *jus necis*. &c. At, dici posset, *sacras personas punire?* quid hic difficultatis est? nonne sunt subditi? nonne homines? multæ,

C

tae, fateor, poenae possunt esse quandoque in personis sacris iniquae, et justo duriores, sed si tales infert ipsis vel delicto vel crimine contaminatis Imperans, quid contra me concludi poterit? Principem esse iniquum? et ambabus concedo: esse injustum? et nego. Quis enim hic judex esset, qui posset validum externe judicium de aetione Principis ferre, et inde eum condemnare? quis leges daret ipsum externe obligantes, quis in factum ipsius inquireret, quis illud sub lege subsumeret, quis valide concluderet, quis in ipsum sententiam pronunciaret, et exsequeretur jure? Cogitemus Principem summum inviolabilem ex una parte, et ex alia subditos: Læsio, immo maxima esset læsio: et valde errat, qui credit tantum esse de prudentia ut talibus in casibus ab injuriis et vi externa afflitti abstineant, de jure abstinere debent.

### §. XX.

Ipsa docet experientia, quantæ lites oriri possint circa sacra, quæ ut mox finiantur e Republica esse nemo non perspicit. Lites dirimi possunt sacræ vel per convocationem certorum membrorum societatis sacræ, imprimis personarum sacrarum, vel per ipsum Principem, cui jus lites hasce decidendi mox demonstrabimus competere. Hinc concipere possumus concilia et synodos. Quanta librorum farrago circa hanc materiam! Quantæ rixæ! quæ me quasi ab illa penitus removent, ne tamen nil dixisse videar, et quædam proponam, neminem refutando sed veritatem principiis juris firmando. *Concilia et Synodi* (t) sunt conventus personarum imprimis sacrarum ad valide publice deliberandum de quibusdam opinionibus vel sententiis sacra respicientibus. Multiplex hic jus est imperantium; primum videamus jus Concilia Synodisque indicendi, jubendi, prohibendi, et separandi: Nulla est invito legitimo principe externe valida, nec in tota regio-

ne

(t) vide 7. Caput. Grotii de jure Summ. P. circa s, ubi peragitur hæc materia.

ne Principis, nec extra ex suis subditis composita, ulla iure esse potest sine ipsius consensu aut tacito, aut expresso. Cum enim hi, de quibus loquimur, sint subditi, imperio summo se subducere jure non possunt, at se subducent ipsi, si contra ipsius voluntatem concilium aut synodum constituerent, adirentve. Et quum sit negotium publicum, autoritas publica, hinc consensus Principis, deficere non potest, si validum esse debeat. Nec haec forsan multi inficias ibunt, immo plurimi ambabus concedent; liceat hic divi Hieronymi verba afferre, qui l. 2. apolog. adv. Ruffinum (*w*) sic loquitur  
*Responde, quæso, synodus, a qua excommunicatus est, in qua urbe fui, dic Epistolorum vocabula: profer sententias, subscriptionum vel diversitatem vel consonantiam.* *Doce qui eo anno consules fuerint, quis imperator hanc synodum congregari jussit.* Supponit ergo Hieronymus synodum non posse congregari nisi Princeps legitimus jussit. Si vero palam est jus jubendi, palam erit jus prohibendi, et jus separandi convocata concilia, convocatas synodos. Jussa a Principe separatione omnes convocati abire externe obligantur, aliud est si personæ sacræ aut aliæ, quæ ibi sunt, putant obedientiam in certis casibus, v. g. ubi lis quædam circa sacra necessario requireret examen diuturnum, ne maximum oriatur inde religioni damnum, esse contra ipsorum conscientiam, tunc enim adest collisio legum, in qua supereft personis hisce favor necessitatis, si sine iure copulatus concipitur, de quo inferius acturi sumus. De conciliis oecumenicis res per se in aprico est; illud justum externe esset, ad quod omnes terrarum orbis Principes consentirent, aut unus, si totius orbis Imperans unicus legitimus esset. Sed liceatne Principi in Concilio, synodoque sententiam ferre? utique, nec sub limitatione tantum Celeberrimi Ziegleri: (*u*) non solum

C 2

enim

(*w*) pag. 224. T. II. Oper. suor. edit. Frobenianæ curante Erasmo.

(*u*) Lib. I. c. 15. §. 37. de Jure Majestat. ait. Quod si Imperator aut Princeps, qui Concilium convocavit, tali eruditione ac peritia instructus fuerit, ut verum a falso discernere, et ex scripturis

enim Imperans jure pollet. 1) concilium vel synodum indicandi seu jubendi, 2) nominandi eos qui adire hanc debent, 3) quibusdam prohibendi, ne adeant, 4) prohibendi ipsum concilium et synodum, 5) separandi s. jubendi ut congregati abeant. Sed et 6) determinandi ea, circa quæ deliberandum erit 7) votum suum dandi, 8) litem ipse decidi, 9) conclusum approbandi seu confirmandi, examinandi, corrigendi, annullandi, ipsi addendi et demendi. Supremus enim est judex, (v) et, si jure lites Civiles decidit, si jure circa lites civiles exercet, quæ nunc recensui et affirmavi competere Imperanti etiam circa sacra, absonum duco Principi denegare circa has jus, quod conceditur ipsi circa illas: Sequeretur enim illos, qui convenerunt in Concilio, ipsi illud jus jure ademisse, i. e. judices factos fuisse supremi judicis, quod absurdum. Omnes in concilio sacras esse debere personas non video in theoria juris, hoc quidem didici, illas in eo non esse posse quibus vetavit summus civitatis Imperans: si ille prophanam personam (Laicum) jubeat, ut concilium adeat, votumque suum det, jure tunc Laicum sedem in Concilio sumere posse nemo negaturus erit, qui paulo accuratius principia juris pensitavit. Externe hinc obligantur congregati, immo omnes subditi Principis acquiescere sententiæ validæ, si velit Imperans, sub limitatione jam superius eruta, et infra penitus eruenda. Sed inde non subscriptio concludatur illos, qui sententiæ, propter vim ipsorum conscientiæ, acquiescere non potuerunt, posse jure ad alius judicium provocare, et concilii validi sententiam invalidam declarare: vtroque facto vehementer (x) læderetur Imperans,

fundamenta fidei adstruere queat, nolim ego eum, ut καὶ Φοί πρόσωπον adsidere in consilio, sed ipsius quoque suffragium audiendum censem.

(v) Facile ergo est indicare de pronunciato Hulsemanni in Brev. Theol. c 19. § 19. „Negamus provocari posse a Judicio Ecclesiastico ad „judicium mere civile sive supremum sive subordinatum fuerit.

(x) vide hic egregium locum in responsione Celeb. CORVINT ad anno-

perans, nam prorogare jurisdictionem invito Principe nefas est, et injustum est ipsius voluntatem aut illam, quam validam esse vult, pro nulla declarare. Sed sat de his.

### §. XXI.

Transeamus ad *jus Principis secularisandi personas sacras*, si personas sacras pro prophanis valide declarandi. Omnes Jurisconsulti Canonici fatentur personas sacras crimine vel delicto contaminatas posse jure munere suo privari, hinc secularisari: Est itaque character indelebilis personarum sacramentorum nil nisi merus sonus, si enim in illo casu nullius est effetus, nullibi accipendum esse existimo. Princeps jus habet 1) personam sacram prophanam in foro externo civitatis reddendi, 2) vetandi ne persona sacra ad prophanum abeat statum, hinc talis persona, quia publica, nec invito nec inscio Princeps statum suum externum mutare jure potest. Hinc patet, quod, si per characterem indelebilem, ut non ordinario, intelligatur obligatio externa personarum sacramentorum a statu suo externo non abeundi vel invito vel inscio Princeps, illum accipere debeamus; si vero, ut saepè, intelligatur per illum, jus harum personarum quo resistere, etiam contra Principem, possunt mutationi ipsorum status externi, illum merito rejicimus; si tandem, uti saepius, intelligatur per illum, sanctitatem hujus characteris non facile hanc mutationem pati, immo moraliter illam reddere impossibilem in foro interno, vix rejicerem, vix concederem generaliter, cum circumstantiae hic variae esse possint. Sed quorundam haec? Personæ sacræ tales sunt externe unice per voluntatem ac decretum Principis, si pro publicis habeamus, ruitque illarum character si tollatur Imperantis voluntas: hinc secularisari possunt jure.

### C 3

### §. XXII.

tationes BOGERMANNI in Illustriss. GROTI PIETATEM ord. H.  
et W. p. 34. 35. edit. Lugd. Batav. Ao. 1614.

## §. XXII.

Præter hæc jura in personas sacras, competit etiam Imperanti 1) jus rescindendi pæcta harum sacra justa, 2) annullandi injusta, utraque etiam jurata. Annulandi injusta jus nemo Principi forsan denegaturus erit, nil enim est annullatio aliud nisi, declaratio injustitiæ pæcti injusti. Sed quid si tale jurejurando fuerit firmatum? Jusjurandum, cum non sit vinculum vel iniquitatis vel injustitiæ, pæcta injusta non quidem valida reddit, si forum internum spectaveris, multo minus, si forum externum; in hoc habetur ac si pacto non fuisset adjectum, de nihilo enim juratum fuit, i. e. de aliquo ad quod obligari nemo poterat, quia Legibus externis contradicebat. Rescindendi justa pæcta sacra personarum sacrarum jus penes esse Principem facile etiam demonstrabo. Inter duo pæcta contraria posterius nullum est, et tollitur a priori, at pactum subjectionis subditorum prius est pacto hocce, de quo quæritur, ergo, si hoc ipsi contradicit, nullum est. Contradicit ipsi, quia servari non potest sine inobedientia erga Principem, qui illud servari nolit, quam tamen subditi in pæcto subjectionis priori illo, de quo sermo est, promiserant. Porro validum tantum est in foro externo civitatis, quod legibus externis non contradicit. At si Princeps novam legem dat, qua pactum istud non amplius validum dici possit, nonne jure rescindit? sed dat talem legem rescindendo pactum, licet lex hæc forsan pro uno tantum casu individuali valere debeat. De tali pæcto, alias justo, at jurato res eadem est. Juratum enim fuit, si sane iuraverint pacientes, servari pactum, quatenus esset et maneret moraliter possibile. At non manet, difforme enim fit legibus externis, deficit ergo conditio sine qua non, servandi pæcti, hinc nec servandum est, hinc invalidum a Principe fit jure. Annulatione itaque et rescissione a Principe facta pacientes subditi a pæcto resilire externe obligantur; hinc et personæ sacræ: quod enim valet de omnibus, valet etiam de quibusdam;

busdam; donec quis demonstrare possit characterem personarum sacrarum eos in hoc casu a subiectione liberare. (y) Non autemo iuramentum nullam obligationem externam umquam constituere, constituit 1) in Statu Civili, si Princeps velit, 2) in naturali semper, si pactum est iustum, auget enim obligationis intensionem, et duplex læsio fieret violatione pacti iusti iurati, violaretur enim pactum et pacti cautio.

### §. XXIII.

Supereft, ut primam absolvamus partem dissertationis nostræ, nobis aliquid juris hierarchici ad evolvendum, quod Principi competit circa personas prophanas, s. (uti nomen jam a longe tempore acceperunt) Laicos, quoad statum et quoad actum consideratas. Pauca vero erunt dicenda, quum ex supra dictis §. 11-23, quæ necessaria sunt, satis superque eluent. Adscribendum est Imperanti in personas prophanas, si ipsius sint subditi, respectu sacrorum jus nomotheticum §. 13, jus declarandi errantes externe circa religionem §. 14, jus dicaſticum §. 15. 16. 17, jus tolerantiae §. 18, jus varias poenas infligendi ipsis §. 19, jus externe obligandi ut externe acquiescant decisionibus, circa lites sacras, ab ipso, vel ab illis quibus id demandavit factis §. 20, jus rescindendi eorum pacta justa sa-cra, annullandi injusta utraque etiam jurata §. 22, jus obligandi ut agnoscant externe pro prophanis hasce personas sacras, quas secularisare ipsi placuit §. 21. Competit etiam Principi jus subordinandi personas prophanas sacris, eas obligandi, ut tales externe pro ipsis judicibus, conductoribus, sacerdotibus &c. habeant et agnoscant, ut submittant se externe validæ disciplinæ sacræ. Validum enim agnoscere et pro tali habere omnis externe obligatus est subditus, quanto magis si iubet expresse Imperans. Sed, objicitur, si hæ personæ

(y) Non alienum Jus Romanum a nostra sententia est; deduco ex L. 43. §. 1. Cod. de Ep. et Cler. 4. L. 33. §. 1. C. de Ep. aud.

sonæ sacræ, à Principe nominatæ, vel ignaræ rerum, quas docere debent, sunt, vel pessimis moribus additæ, vel opinionibus imbutæ, ita ut contra conscientiam agerent subditæ, si ipsas agnoscerent, tunc tamen subditæ, quatenus membra sunt cœtus hujus, cui hæ personæ sacræ applicari debent, jus est eas non accipiendi pro talibus, pro quibus eas Princeps haberi vult. Respondeo, negando tale jus esse membris, copulatum enim est omne jus cum vi externa et extorsione. At subditos a Principe aliquid vi extorquere posse jure ἀτοπον est: Sed illis favor necessitatis est, si sine jure copulatus sumatur.

## §. XXIV.

Eruimus jus Principis circa sacra, quatenus respicit personas, nunc nobis eruendum erit quatenus respicit res, ut saltim maximam partem jurium horum imperantis evolvamus. Res externa (z) est aliquid, quod nec persona nec ipsius pars est; *sacras vero res* voco illas, quæ publice usibus sacræ destinatae sunt. Parum accurate Jus Canonicum etiam tales vocat, quæ usibus necessarii personarum (a) sacrarum inserviunt, quum multum absit, quin plerique tales usus cum religione proprius connectantur.

## §. XXV.

(z) *Rem definire non tam facile est. Habet hæc vox sensum admodum extensum et vagum v. L. 5. D. de verb. signif. Aristoteles strictiore dedit, cum dixit esse, πάντα στοιχία νόοις ματι μετρέται, i. e. omnia quorum valor pecunia estimatur.* Nos quidem secuti sumus definitionem, quam accepimus ab excellentissimo Praceptor nostro, Professore Celeberrimo BAVM-GARTENIO. Non tedium sumus forsan erit, si variis sensibus vocis rei afferam, quod fieri poterit allegando quasdam LL. Rom. in quibus vario sumitur sensu. v. L. 5. D. de verb. signif. L. 9. C. de suis et legitim. L. 1. init. D. de in rem verso, L. 7. D. de jure jurando, L. 1. §. 1. D. si is, qui testam. L. 15. D. de div. reg. L. 35. D. de hæred. instit. L. 91. D. de solution. L. 5. init. D. de impensis in res dot. L. 41. §. 1. D. de statu liber. L. 14. de iure. L. 13. D. de bon. poss. L. 2. C. de rer. permuat.

## §. XXV.

Jus Principis in res sacras erit vel in immobiles vel in mobiles; ad mobiles pertinent pecunia et utensilia. Inter immobilia primum locum occupant ædes sacræ, in quas jura quinque sunt Imperantibus, puta, 1) earum ædificationem jubendi vel permittendi, 2) prohibendi, 3) ædificatas consecrandi, 4) secularisandi, 5) diruendi. Jus jubendi earum ædificationem primum ex eo appareat, quod Princeps in omnes actiones externas subditorum justum habeat imperium, secundo ex jure ipsius territoriali, quo potest ædificare jure quocunque in quocunque loco regionis sue. Sed quid, si Princeps tempora inædificari velit pro cujusdam religionis cultu, quæ videtur esse falsa, immo in posterum Reipublicæ nocua? Parum id refert: quæ vult Princeps non submittuntur valide subditorum judicio et examini, et hi externe obligati sunt aut jussibus illius satisfacere, aut mala propter non obedientiam illata pati tranquille. Quæ, Respublica, in qua subditi Principis voluntati non antea obedire vellent, quam examinassent, an bonum id futurum sit civitati, an minus! minutuli judices et incompetentes, vestrum non est judicare externe, sed aut obedire aut pati. Vestram miror audaciam, sanum aliquem virum, vobis dictatoriis verbis suadentem, ne tempus inutiliter teratis, sed felicitati vestræ melius consulatis, rogatis, quo jure, quave ratione sibi sumit potestatem directricem: at quæsto, quare id facitis? respondete; dicitis, *ipso hoc jus non deditus*. En id vobis majori jure respondebit Princeps: id a vestrum æquali contenditis, quid ergo non a vobis ipsis Princeps juste contendere poterit? Jus prohibendi ædium sacrarum ædificationem ex iisdem cluet fontibus. Dicitur saepissime, immo quotidie hæc auribus meis sonant: *Sed bona subditorum, sunt subditis, ergo usus horum erit instituendus jure pro ipsisorum libitu*: bellissime, ut nihil supra: sed addatur; quantum fieri poterit sine lesionef. violatione juris supremi Imperantis: subditorum bona subditis sunt,

D



sunt, et ipsis illorum ille usus licet, quem non vetat Princeps. Jus territoriale nonne involvit jus vetandi, ne in territorio, in quod jus hoc est, ædificetur? si quicunque usus bonorum subditis licitus esset, quid Reipublicæ detrimenti non eveniret ex pravitate hominum! At, dicitur, usus pii! Tacete, quæso, qui tam acriter saniori ratiocinii regulas infringere non dubitatis: non omnis usus, qui dicitur pius, justus est, immo non omnis suadendus, stant pro exemplo innumerata bona monasteriorum, quot inde non detimenta plurimi Europæ regnis! sed quorsum hæc? sufficit nolle Principem; contra ipsius voluntatem qui agit, eum lædit. Tertium est, ædes sacras jam ædificatas consecrandi; *Consecratio* dicitur actus publicus validus, quo aliquod ad sacros usus in posterum adhibendum esse declaratur. At ex ipissima definitione tria concludo axiomata: 1) nulla est consecratio invito Principe, 2) Principi jus consecrationem peragendi, jubendi, determinandi, prohibendi competit, 3) si recte consecrant quibus Princeps demandavit hoc negotium. Nullam omnem esse consecrationem vel invito, vel inscio Imperante non præsumendo ipsius consensu, factam, patet ex eo quod tunc validitas externa ipsius actus, extorquenda, in casu, quo quis agnoscere nollet, non adsit; et tunc nullus subditus externe obligatur, sive promiserit, sive minus, ad agnoscendum, immo ad non agnoscendum externe obligatur. Jus consecrationem ipsam peragendi est apud Imperantes, quia summi sunt in civitate, hinc summi in sacris, summus enim in toto non summus in parte, est contradictorii quid. Tandem quod per alios facit Princeps, ipse fecisse judicatur, hinc quod ipse jure facit, alii ab ipso demandati jure faciunt, hinc jure consecrant, quos consecrare jussit. Quartum est tempa secularisandi, seu ad usus prophanos adhibendi: crassissimus error est consecrationem secum ferre characterem indeleibilem, quo posito nunquam fieri jure posset, ut res semel consecrata ab usu sacro ad prophanos transferretur; uti Principi ius est personas sacras secularisandi §. 21, ita et ipsi est tale ius in templa.

pla. Quintum tandem est fleibile, durum ius (a) diruendi ædes sacras, ex iure summo territoriali concipiendum, immo et obligandi cives, ut diruant ipsorum templa. Si enim habet summus in civitate iudex ius ædificandi, qua ratione non ius ædificata diruendi? Illud si ab ipso iussum, quis resistere et obedientiam posset denegare iure? quis ab ipso extorqueret contrarium? *Summum jus sæpe summa est injuria*, sed ex eo, quod ius aliquod sit iniquissimum, non sequitur illud non esse ius. Huc etiam pertinet ius constituendi azylum in templis, et vetandi; ius determinandi quando et quamdiu aperta vel clausa esse debeat templo: Quæ particulari non agent demonstratione.

### §. XXVI.

Omne peculium societatis sacræ sacrum dici nequit, sed illud tantum quod usibus sacris inservit. Huc ius Principis, peculium sacrum 1) augendi, quod nemo forsan negaturus, imprimis ipsius administratores, 2) minuendi (b) i.e. vel partem quandam secularisandi, vel alii societati sacræ dandi: si possunt secularisari et personæ sacræ et templo, quanto magis poterit peculium sacrum hanc mutationem pati §. §. 21. 25. 3) determinandi usus sacros, quibus inservire debeat. Negant hoc perperam plurimi, et ex rationibus mere politicis; personæ, aiunt, *sacræ melius statum societatis sacræ intuentur, quam Princeps, ergo magis idoneæ sunt usibus hisce determinandis*. Licet concedam, licet abusuum quorundam

D 2 dam

(a) Quod jus cum exercuerunt Otto Magnus, Carolus Magnus, aliique Imperatores, juste hoc fecisse nemo negavit.

(b) HYBERVS de J. Curt. L. I. S. V. c. 3. n. 44. ait „Bona quoque Ecclesia in usus Republicæ Patetas summa convertere non potest, nibilo magis quam res cuiusvis privati. Antea vero n. 41 dixerat: Ceterum personas et bona Ecclesiasticorum imperio civili nullo jure subduci posse extra controversiam collocamus. An tam inconcataente ratiocinari liceat? Videte quam facile a vera veritatis via aberrans in contradictionia incidere possit.“

dam mentionem non iniiciam, licet ponam illud æquitate maiori pollere, quid contra assertionem iuris inde sequeretur? nil, certo nil, nisi argumento a baculo ad angulum uti quis vellet. Non ignota sunt legata ad pias causas, hinc concipi posset ius Principis in legata ad societas sacras, ea ratione ut usibus sacris adhibeantur. In haec idem ius est Imperanti, ac est ipsi in bona sacra, et nil mutat voluntas testatoris, sit subditus, nec ne: iure vetat, minuit, aliis usibus ut inferuant, iubet, alii societati vel sacrae vel prophanae dat. Sed dicitur, posita clausula a testatore, qua firmatum esset, ne aliter adhiberetur legatum, nisi ut iussicerit, si vero in alias usus transferretur, nullam esse debere dispositionem, tunc quidem externe obligatus est Princeps aut voluntatem testatoris sequi, aut sinere ut remittatur legatum? Et negamus. (c) de testatore subdito.

### §. XXVII.

Ex §. §. 25. 26. Jus Principis circa utensilia sacra facile derivari poterit. Res illas omnes sacras, quibus societas sacrae omnes possent uti, hic determinare non possum. Variare queunt; quæcumque societas sacra, prout cogitat de vero modo Deum colendi et serviendi, quasdam res pro sacris determinat, et, si oculos iniiciamus in diversos diversorum religionum cultus, experientia assertum nostrum comprobabit. In omnes res sacras, ut in omnes alias, in toto ipsius terri-

(c) Hoc anno in lucem proditus est lectu dignus quidam Tractatus. Sub Titulo: DISCUSSIONE QVÆSTIONIS: AN PRINC. IMP. IN TERRITORIO SVO LEGEM, VIGORE CVIVS MONASTERIA ET ORDINES RELIGIOSI VEL IN TOTVM VEL IN TANTVM, AB HEREDITATIBVS, PER PROFESSOS SIVE INGRESSOS ORDINEM, QVACVMQUE RATIONE ACQVIRENDIS EXCLVDVNTVR, SALVO IVRE SALVA CONSCIENTIA CONDERE POSSUNT. Titulus caret nomine autoris, Typographi, et loci in quo præliis datus est libellus hic, sua solide et ingeniose propone.

territorio (s. illa parte telluris quam suum iuris dicere potest), quae non sunt ab ipso exceptæ, Princeps ius habet, immo eminens extraordinarium, quod casibus necessitatis determinatur. Huc etiam pertinet ius Imperantis imponendi vestigalia et tributa rebus omnibus sacris, et nullum hic habent locum sic dictæ immunitates personarum sacrarum, ni eas approbaverit Princeps.

### §. XXVIII.

En Jus Principis Hieraticum: possem subsistere hic, sed ut veriora prolatæ a me omnibus pateant, in unum nunc colligam omnes rationes, quibus firmatur Principis jus hocce circa sacra. 1) Jus extorsionem secum fert §. 4, ergo versatur tantum circa obligationes perfectas s. externas: obligatio perfecta unica tantum est, puta, neminem lædendi; hinc patet extorsionem tantum habere locum, ut avertatur læsio: in quem nulla datur justa extorsio, ille lædere non potest, at in Principem propter rigorose sic dictam inviolabilitatem, nulla prorsus datur justa extorsio a subditis, ergo subditos ille lædere non potest; si lædere non potest eos, non potest violare rō suum juris subditorum, ergo nec jura superius enarrata exercendo rō suum juris subditorum violat: Qui non violat rō suum juris aliorum jure agit, ergo Principis jura superius enucleata exercendo jure agit, ergo jus habet tali modo agendi. 2) Principi jus est in omnes societas civitatis suæ, ne status in statu, (d) imperium in imperio

D 3

forme-

(d) Celeb. BARBEIRAC in Oratione, quam Gröninguae Rectoratum demittendo Ao. 1721. sic loquitur „Qu'on vienne établir un Empire au dedans d'un autre Empire, et un empire non seulement égal, mais encore supérieur à celui du souverain temporel: car voilà à quoi aboutissent ordinairement toutes les prétensions et toutes les disputes sur ce sujet. On a beau se parer du titre de successeurs de J. C. il n'en est pas moins vrai qu'on sécarie prodigieusement de la prairie et des préceptes de ce divin maître - - - Qu'ils se repaissent de leurs songes

formetur, ergo in sacram, 3) Nil eximi potest in civitate ab imperio civili, hinc nec sacra, aut enim illa pertinerent ad imperium aliis summae potestatis, aut civis, aut alius peregrini, et tunc vel in eo consensit summus Imperans, vel minus, sed priori casu supponitur fuisse apud illum, hinc ad illum pertinere, posteriori læditur; aut tandem nulli imperio subjecta essent, sed cum sacra illius nature non sint, ut imperio humano subjici non possint, si de externis loquimur, neceesse est, ut quis sit qui ea expresse exceperit, at exceptaut Imperans, aut alius, in priori casu volenti non sit injuria, posteriori læditur. (e) 4) Religio externa est primarium objectum potestatis civilis, quia plura negotia publica cum ipsa arctissime connectuntur; horum negotiorum causa eleeti fuere Principes, ergo et ipsis in talia denegare summum jus crassissimum omnium error est. 5) Princeps habet jus in omne illud, quod e Republica est, quanto magis ergo jus habet in sacra, quæ in maximo, cum felicitate omnis Reipublicæ, nexus sunt. 6) Nemo in civitate, nisi Princeps, aut ab ipso demandati, jus habet puniendi, at sine hoc jure nulla jurisdictio exerceri posset, ergo nulla in sacra, si ergo haec in illa est necessaria, hæc a solo Principe, aut a Principe demandatis, exerceri valet juste: At dici posset, eatenus verum est, quatenus pius est Princeps; utinam omnes personæ sacræ essent piæ! sed an pius sit,

*et de leurs chimères, qu'ils jouissent de leurs immunités, et de leurs prerogatives usurpées, de leur Empire tyramique; si tant eſt que ceux, qui seuls ont le droit légitime de commander, veuillent les laisser faire.*  
*Mais il eſt certain que dans un Etat bien reglé tous les Ecclesiastiques sans exceptions font regards comme fuyets, et le font effectivement.*

V. RECEVIL DE DISCOVRS TRAD VITS OV COMPOSES

PAR I. BARBEIRAC. Tom. II. p. 245. Amstelod. 1731.

(e) GROTIUS Tractatu de I. S. P. circa S c. i. §. 3, ait „Qui nulli imperio subjectum (sacrum) vellet, præterquam quod exemptionis probandæ onere adstringeretur, quam probare numquam poterit, manifestam etiam in rebus exemplis statueret ἀκαταστάτια, cuius autor Deus non eſt, qui omnia tam naturalia quam moralia certo quodam ordine dispofuit.

sit, nec ne, in foro externo certe non attenditur (f). Dicitur adhuc, illud jus primario pertinere ad personas sacras, secundario ad Principes: probe! personæ sacræ sunt subditi, hinc Principi subordinatae, hinc majus est jus in subordinato, quam in subordinante, q. a. (g) Sufficiunt ne hæc omnia?

(f) Chaque citoyen en s'engageant, comme il l'a du, par une convention expresse ou tacite, à obeir aux Princes, peut être censé leur avoir promis cette obéissance, non comme à des personnes parfaites et impeccables, mais comme à des hommes qui d'une manière ou d'autre pêcheront à coup sur, et dans leur administration publique, et dans leur conduite particulière. Cependant comme alors il n'appartient à aucun particulier de les punir aucun ne peut plus les en censurer: sic loquitur Celeb. BARBEIRAC, loc. cit. p. 253. Et GROTIUS de I.S.P. circa S. c. 6, §. 14. „Quamquam vero officio Summae Potestatis convenit in rebus frequentioribus ordinario uti agendi modo; tamen aliter si faciat, potest quidem dici non recte facere, sed non ramen extra id quod ipsi jus fuerit facere, quia latius patent officiorum regulæ per omnia virtutum genera diffusa, quam jus merum.

(g) SCHILTERVS in l. 1. de Lib. Eccles. Germ. c. 2. §. 7. probe ait: *Habet enim qualibet Summa Potestas cuiusvis Reipublicæ, omnium gentium divinoque iure, vim circa sacra et curam de salute civium æterna, uti alibi latius ostendimus. Itaque legislatoria Imperatorum ac Principum potestas omnium gentium usū ad sacra cuiusque sua extendetur.* Et paulo post addit Cl. ille Vir: *Libertas enim convenienti ad cultum Dei, exercendique sacra, depender a Summo Imperio cuiusvis Civitatis æque ac immunitatum concessio.* HYBERVM vero hic approbare non possum, minus sequi: Celeb. Vir Tractatu de l. Civit. l. 1. S. V. c. 3. §. 65. ait: *Jus ac potestatem circa sacra Principibus tribuendam esse eatenus, quatenus a Deo præfinita non mutantur. Optime si dixisset subditi interne eatenus tantum obligatos esse obedire Principi in sacris, quatenus a Deo præfinita non mutat, Principemque interne non posse alia circa sacra, nisi voluntati divinae, quantum poterit, conformia iubere. Sed alia proflus questio est, si possint subditi iure ab ipso extorquere ne nisi voluntati divinae conformia iubeat, et a nobis merito pernegatur, illud tamen dicitur cum negatur Principi competere ius iubendi et extorquendi a Deo vetita, vel vetandi a Deo iussa. Subditi, qui talia facere non possunt propter conscientiæ vim, possunt obedientiam Principi denegare, sed obligantur patienter mala, quæ sub nomine poenarum ipsis infert Princeps,*

omnia? immo unum argumentum sufficeret si tota fallor cœlo; abstraho a Christi verbis, Theologorum doctissimo-  
rum,

pati, non vi resistere. Hic etiam a maximo illo Viro, quem omnia Sæcula venerabuntur, abire cogor, qui in Tractatu de Summarum Potestatum jure circa sacra c. 3. §. 5. idem cum HVBERO, autumat. Nec minus ab HORBESIO discrepo, ille enim in Leviathan. c. 43. ad f. p. m. 288. ait: Si Rex Christianus, qui fundatum tenet Jesum esse Christum, doctrinas aliquas per imperitiam inde deducens doceri et teneri imperet. Imperanti obedientum est. Obedire enim sine anima periculo potest. Addit, quis tunc non subdit, sed imperans peccat, sed erroneum id existimo. Nec satis hic inhærere possumus distinctione inter obligationem externam quæ extorsionem, et internam quæ persuasio-  
nem tantum admittit, ad illam sæpe redire cogor, licet sit clari-  
llima per se, quia sunt qui evidentissimis rebus nebulas af-  
fundunt. HORBESIUS in Leviathan in eo plurimum errasse vi-  
detur, quod ab illa ad hanc obligationem sapientissime falsam du-  
xerit conclusionem. Maxima nonne est differentia, inter illud,  
quod a Principe vi posset extorqueri, et illud, quod Princeps  
facere debet, si leges æquitatis, s. nexus studii alios perficiendi  
cum sapientia, infringere non vult? Nonne maxima interest dif-  
ferentia inter resistantiam armatam, et inter non obedientiam s.  
omissionem simplicem illorum, quæ contra conscientiam facien-  
da essent? Priora negamus merito competere subditis: AMBRO-  
SIVS mecum sentit cum ait: Coactus repugnare non novi, dolere  
potero, flere potero, gemere potero, ALITER NEC DEBEDO, NEC  
POSSVM RESISTERE. Dolendum est, quod tot viri docti, fallo-  
religionis amore ducti, hilice in materiis tantopere a vero verita-  
tis tramite aberraverint. En Schedulam quam inveni in Disp. Cl.  
Theol. FRANCISCI IVNII de synodis et synodalibus Iudiciis, Magi-  
stratusque summi in talibus jure contra Bellarminum, Franq. 1614.

Deus

Magistratus Minstri

Minstri Magistratus

In Secularibus In Ecclesiasticis.

sunt verba præterea nihil. Huic coniungi poterit Gamologia

rum sententiis, a consensu omnium gentium, a felicitate Reipublicæ pro me militantibus. Hæc jura Principi legitimo talem in modum adscribenda sunt, si veritatem sequi velimus, ut negare debeamus ab ipso posse separari, sine ipsius voluntate ac consensu; Nulla valet contra ipsum præscriptio, quæ jam e jure philosophico probe rejicitur.

#### §. XXVIII.

Posito in uno jure quodam, ponitur in altero ipsi correspondens obligatio externa. Ergo in subditis est obligatio externa horum Principis jurium respectu; i. e. subditi externe obligantur obedire iussibus imperantis circa sacra datis. Jam demonstravimus, quænam jura sint, quæ ipsi competant in subditos, quoad sacra, hinc nil superest, nisi ut justam consequentiam ab his ad obligationem externam subditorum ante oculos ponamus. Jus est facultas agendi a lege cogente s. striete dicta concessa, hinc connexum est cum facultate extorquendi ab aliis, ne contra jus agant: Ergo si Principi dantur jura circa sacra, datur ipsi facultas a subditis extorquendi, ne jura ipsius violent; at violarent, si ipsi aut non obedient cum de sacris aliquid præscribit, aut patienter mala propter non obedientiam illata ferre recusarent, et vi resisterent, ergo

*Personarum Illustrium MYLERI AB FREN BACH Stutg. 1640. 4to.*  
 Superstitionem hic simul ac quorundam Clericorum ambitionem accusare posse puto. Illis enim parumper suppressis mutabantur res, et Principi legitimum ius non recusabatur in sacra: quod patet ex PETRI DE FERRARIS praxi, tit. de form. libell. ex substit. ex IOH. ANDREA BOSIO in Tractatu suo de Ponificatu maximo Imperatorum Romanorum Jenæ 1656. qui probe contrarium, a IACOBO GOTHOFREDO, sub nomine IOH. PLACIDI, assertum refutat in epistola ad RIVETVM de interdicta Christianorum cum genibus communione, deque Ponificatu maximo, ex STRVII Dissertatione de Christianismo Politico. V. in illa imprimis §. 69. p. 72.  
 ex ZOSIMI L. IV. c. 36. et SOCRATIS Historia Eccles. LV.

E

go datur Principi facultas, non propter potentiam, ut **SPI-  
NOZA**, sed propter potestatem, a subditis extorquendi obe-  
dientiam jussibus suis circa sacra datis, ergo datur in subdi-  
tis justus nexus extorsionis cum actione ad sacra spectante;  
nexus vero talis dicitur obligatio externa (perfecta); ergo  
in subditis datur obligatio externa jussibus Principis circa fa-  
cra obediendi, aut patienter mala illata ferendi, non vero vi  
resistendi. Q. E. D.

## §. XXX.

Durum sane hoc jus, et si illo in integrum uteretur  
Princeps, iniquum ipsum pronunciare non unico dubitarem  
momento, non vero Tyrannum et injustum, ut plerumque  
fit ab iis, qui parum naturae rei attenti, et valde in judicando  
inconsiderati sunt. Sed non concludatur, quæso, ex eo quod  
subditi externe in his omnibus obediunt, obligari  
etiam interne in omnibus, et non obediare non posse. Mi-  
nime: si quis, vel veritate compulsus, vel errore ductus, idem  
hic est, optimè, quæ pollet, conscientia videt legem quan-  
dam Principis (cui cæteroquin interne quidem, ni hæc lex  
contradicaret legi fori interni quam fortiori esse credit, in-  
terna enim et est obligatio obediendi Principibus) contradic-  
ere legi fori interni fortiori, i. e. cuius violatio maius malum  
morale post se traheret: is in hac collisione positus, exceptio-  
nem æquam facit, et obedientiam Principi denegat: Con-  
tra ius enim summæ æquitati, legibus virtutis et amoris Di-  
vini Entis conformiter agere, utique bono convenit viro.  
Ea ratione tantopere se commendavit Jus Romanum, quod  
sæpe a regulis juris naturalis strictissime dicti ob æquitatem  
abierit. Stat pro exemplo privilegium minorum 25. annis.  
L. I. §. I. D. de min. 25 ann., licet hi sæpiissime, immo fere  
dicam semper, multo antea psychologice maioresse siant,  
hincque valida pæta, hinc servanda inire possint, quamquam  
per ea ipsis eveniat damnum in consequentiam, tamen ad ser-  
vanda

vanda illa non obligantur iure romano , et ita quidem , ut si decretum Magistratus intervenerit , hoc beneficium tamen duret , L. 2. C. de præd. et al. reb. min. , sive dolo læsi , sive non L. 2. init. D. de min. 25. ann. Stat pro exemplo privilegium s. beneficium restitutiois Reipublicæ & Ecclesiæ datum L. 3. C. de Jur. Reipubl. Non vana et inanis eit hæc distinctione et exceptio , quam non attulisse , nisi timuissim mihi illam silentio prætermittenti imputaturos esse multos consequentiam , quæ Hobbesio imputatur , ad ius enim non pertinet . Qui vero hanc exceptionem facit , ille etiam , quum non obedit Principi , non vi resistere debet , si Princeps ipsi mala infert sub prætextu puniendæ non obedientiæ , sed aut precibus averttere illa , aut fugam arripere . Fuga enim pluribus in casibus (h) non solum licet , sed quidem exigitur , si fori interni præcepta pensitemus ; maxima enim huius regula est ; ad moraliter impossibilia nemo obligatur , at pœnas pati ,

E. 2

cum

(b) Egregie fentit Illustris Episc. ANTONIVS DE DOMINIS cum in Republica Eccl. T. II. L. VI. c. 8. §. 40. ad finem sic loquitur : *Fuga, quidem sibi consulere posse fidem, et vitare persecutionem non dubito, id enim cum ex SS, tum ex Athanasi faro et Apologia optime didici.* *Vi tanen et armis resistendum esse legitimo proprio Principi fidei persecutori non didici.* *Ære digna verba,* paulo post addit : *In causa itaque fidei potissimum numquam licebit arma sumere contra proprium legitimum Principem, qui injustas (interne) etiam propter fidem moveat in suos subditos persecutions, sed precibus et lacrymis agendum, et aut fuga sibi consilendum, aut martyrium libenter subeundum.* Chrysostomus non aliter sentiebat cum dicebat : *Inuenis quoniam, cum Princeps (sic vocat Episcopum Ecclesiæ) contemnit, non oportet ultiones, sed rora ultio est plorare, ingemiscere.* Theoria hæc sacris Litteris disformis non est , quod facile videbit non ignarus vera Evangelii doctrinæ. Errant, qui credunt Iuris stricte dicti defensores religioni periculum adserre , potius illam firmant amabilemque reddunt : Cl. HEINECCIVS D. P. I. §. 24. ait : *Stulti sum, qui tanto quenque Christianum deteriorem putant, quanto sit juris peritor.* Ita scilicet nemo erit Christianus, nisi qui Legum studium execratus cum Terulliano a Toga ad Pallium transeat. Belle, sapienter, lepide, ut nihil supra.

cum fuga salvis legibus internis, et physice locum habere potest, est moraliter impossibile, ergo immorigero Principis iussibus propter legem fortiorum non incumbit obligatio interna manendi intra muros, ergo et ipsi fuga licet. Hæc saepius repetere cogor, ne oblivioni detur, et mihi, quæ mea non sunt, imputentur.

### §. XXXI.

Alia plane res est, si dicendum esset hic quid boni et æqui Principis sit. Alia quæ secundum politices regulas ipsi facienda sint; alia tandem quid juris sit. Horum mixtio maximum est Papocæsaristarum artificium. Non nego prudenter et pie aliquando Principes quandam circa sacra potestatem aut cœtui, aut personis sacræ, concedere posse; potest renunciari iuri suo. Dico, aliquando, semper enim nec pium nec Politicum est. Abusus clericorum eheu nimius fuit! Nemo nescit modum quo Clerici Romano-Catholici in exitium Reipublicæ et Principum, ipsorum fortunæ autorum, tanta beneficia converterunt, unde (*i*) PROPRIMUM ECCLESIAE EST CATASTARES TIMERE ET ODISSE.

### §. XXXII.

An ea, quæ Summo Imperanti competunt circa sacra, illi competerent si esset foemina, vel alii religioni, quam subditi, addictus, duæ sunt quæstiones quibus exercuere se JurisConsulti. At vero cum autoritas philosophice concepta nec potius masculinum, nec potius foemininum accipiat, pa-  
rum utilis, immo puerilis prima est quæstio. Summus Impe-  
rans

(i) v. Guicciardinus in Hypomn. polit.

rans non talis est, qua vir. **HOBESIVS** passim aliquid de hac re adnotat imprimis c. 43. *Leviath.* p. m. 250. **HUBERUS** rem prolixius examinat, ad finem, c. 2. *S.VII. LI.* et a.n. 22 -26. *CI. S. I. LII.* tractatu de jure civitatis, secundum Jus Romanum, de quo tamen non erat quæstio, sed de Jure philosophico. Quoad secundam quæstionem maiores motæ fuerunt lites; res per se patet: Summus Imperans sacris non præest quatenus additus certæ religioni, sed quatenus pollet Imperio civili summo. Ut Professor Juris, qui non habet ius docendi iura particularia ex eo, quod sit v. c. apud nos Christianus, sed ex eo, quod tale munus ipsi concessit Princeps. Vide hic etiam **HOBESIVM** loco citato ad finem capit. 1.

### §. XXXIII.

Ex hisce omnibus non velim concludi cœtum sacrum non posse esse liberum, et independentem ab imperio civili; utique potest; sed non in eo casu ubi membra sunt subditi. Posset dari status, Respublica quædam libera composita lex membris liberis sub nullo imperio communi, et sacris primario officiis dicata, hinc sacra. Immo ius hierarchicum parentibus est in statu sociali naturali, uti primis fuit temporibus mundi. Videatur **GROTIUS** de jure summarum Potestatum circa sacra c. 2. §. 4. et seqq.


### §. XXXIV.

Quæ dixi de Principe illimitato, etiam limitato competere possunt, si 1) non sit limitatus quoad imperium in sacra et liberas eo respectu habeat manus, 2) Pacto liberatorio recuperat, quæ non habuit. Princeps potest esse hic limita-

limitatus vel per pacta fundamentalia cum subditis, vel per compromissum aliud cum iisdem initum, vel per pactum cum tertia gente, unde concipiuntur Republicæ mixtæ. Et hic finem dissertationculæ meæ impono voto illo, ut in posterum omnes, quotquot Principes erunt, NOSTRO MONARCHÆ CLEMENTISSIMO similes in protegenda libertate Ecclesiæ evadant, subditii vero omnes reiiciant semina rebellionis omnia, adquæ pertinent etiam sine dubio principia, quæ refutare indirecto conatus fu.

T A N T V M .





GENERALISSIMO ATQUE PRÆSTANT-  
TISSIMO  
HUJUS DISSERTATIONIS AUCTORI

S. D. P.


IO. ISAACUS LUDOUICUS CAUSSE.

Cum tibi hancce, quam fore te dignam auguror, edenti  
commentationem, amici quam plures, alii coram ver-  
bis, alii absentes litteris gratulentur, non dubito AMICE  
SVAUSSIME, quin nostram quoque gratulationem eo be-  
nignius excipias, quod ea ab homine, cui Tvo honore ni-  
hil est antiquius, proficiscitur. Postulabat autem in te mea  
obseruantia (quam si ex ingenii TVI venustate, morumque  
natua suauitate ortam esse dixerim, non ex assentatione, sed iure  
optimo facturus videor) ut ad amicorum numerum, vi-  
rium TVARUM insigne hocce specimen TIBI vulganti, plau-  
dcentium, me iungerem. Haud mediocrem sane cepi laeti-  
tiam AMICE DOCTISSIME, quo primum tempore de isto  
Tvo consilio ex familiarium litteris cognoui; quod nihil  
nisi egregium ab eo expectabam, qui ad quaevis paeclarata  
natus esse, atque hereditario quasi iure naturam admirabilem  
ad bonae mentis studia habere videtur. Ex quo enim te  
primum vidi, AMICE HONORATISSIME, miratus sum  
felicem illam indolem, qua ad eruditionis ingenijque lau-  
dem ornamenta morum addis, TEQUE ita amare cepi, ut il-  
lis, quibus TVA consuetudine frui nunc datum est, oppido  
inuidetam. TV vero AMICE CARISIME, in quo jam du-  
dum agnoui paternae claritatis vestigia, paeclare nunc ostendes,

des, verum, quandoque saltem, esse quod alicubi ait Horatius,  
*non imbellem feroce progenerare aquilas columbam.* Maecē igitur **TVA**, Beausobri Praestantissime, virtute, quae **TE** dignum facit parente, de quo satius est nihil quam parum dicere; cui **TV** modo puerulus, non minus ob emicantes ingeniodates, morumque praeocem elegantiam carus fuisti, quam quod filius eras. Quid de **TE** sperare possit patria, quid orbis litteratus, quid nepotes, publica hacce disputatione, quam faustam atque felicem **TIBI** ex animo precor, solemniter prodes. Secundet Deus Optimus Maximus assiduum **TVAM** industria, atque idem **TUOS** conatus, Tua studia bene fortunet, ut quam gloriam accepisti ab **ILLVSTRI PATRE**, quamque tam egregie tuetur Venerandus admodum frater **TVVS** natu maior, posteris **TVIS** relinquas. Vale **AMICE OPTIME**, meque mutuo ama, paucos enim habes, **TVI**, quam ego sum, studiosiores. Dab. Berolini d. XXIII. Sept. c19ccl.



60



Frankfurt a. O., Diss., 1746/50

ULB Halle  
002 425 017

3





521

Q.D.B.V.

1750, 1

7

DISSERTATIO  
DE  
NON NVLLIS  
AD  
IVS HIERARCHICVM PRINCIPVM  
PERTINENTIBVS  
QVAM CONSCRIPSIT

AMPLIS

PUBLIC  
LV DO

TYPIS

S

R E

